

Früchte auch gut/ist der Baum faul / so sind die Früchte auch faul.  
Demnach weil ihr Pharisäer so böse Früchte bringet/ indem ihr mich  
und mein Wort verachtet/so ist daraus gnugsam abzunehmen/ das  
ihr böse faule Bäume/und durch den Geist Gottes nicht wiederge-  
bohren send. Qvæ etiam est Glossa Calovii in der Deutschen Bibel  
&c. B.) Posito etiam, Christum velle Pharisæos hortari ad pœnitentiam,  
(uti volunt Nostratum nonnulli, inter qvos nominatur D. Hunnius a D.  
Quistorpi loco supracit. P. 137. Cujus peculiare Scriptum , cum non sit  
allegatum , evolvere non potui.) Non tamen omnes hortatur , qvia non  
fuerunt omnes unius generis. Apud qvosdam peccatum in Sp. S. com-  
missum fuit consummatum , apud qvosdam inchoatum. Hos adhuc ad  
pœnitentiam hortari potest; Illos non item , qvia Remissionem peccato-  
rum non habebunt in æternum. p. 32. Bene iterum B. Affelmannus no-  
biscum sentit l. c Notamus , inquit ; distinguendum esse inter peccatum  
hoc inchoatum , & plene consummatum : Non de illo proprie dicitur,  
esse irremissibile; Qva distinctione observata multa possunt enodari dubia.

Qvæ p. 34. seqq. seqvuntur Testimonia Theologorum , qvibus re-  
gressum peccatoris in Sp. S. esse possibilem probare vult Niehenckius , ea  
omnia de peccato in Sp. S. inchoato sunt accipienda ; Nam de consum-  
matores est desperata. Qvia illud τὸ ἀδύνατον Christi ac Pauli omnino  
omni autoritati humanæ antepono. D. Calovius in Bibl. Illustr. ad h. l.  
fol. 192. diserte scribit, blasphemiam in Sp. S. docente Christo, esse. NB.  
prorsus irremissibilem , & qui dicunt , tantum difficiliter remitti , cum  
Socinianis facere. Id qvod Niehenckius cum suo D. Ittigio observet.  
Plura testimonia concervare hic nolo. Sed p. 40. seqq. Thesi speciali  
probare contendit Niehenck ; qvod nempe Induratus , qvamdiu vivit & in  
via est , ex intentione DEi convertibilis sit. Medii termini ejus sunt coc-  
cylmi. Primus est : Qvia voluntas DEi antecedens s. gratiosa æqvalis  
est : Secundus est : Qvia Voluntas DEi antecedens induratum usq; ad  
ultimum qvoqve vitæ halitum gratia sua comitatur. Tertius est : Qvia  
DEus induratum qvoq; ad Pœnitentiam agendam invitat. R. ad Primum :  
Committitur a Censore Ignoratio Elenchi , nos enim non negamus Volun-  
tatem DEi antecedentem s. gratiosam esse æqvalem : Sed de conseqvente  
voluntate disputatur , qvæ utiqve est inæqvalis propter inæqvalitatem Ob-  
jectorum Joh. III. 16. 17. Notes ergo Hulsemanni supracitatum locum :

E

qvod